

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 571

**Auteur(s)** : Jean Ier, Eu (comte)

**Bénéficiaire(s)** : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1149

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Confirmation par Jean [Ier] comte d'Eu, des dons faits à l'abbaye par ses prédécesseurs, et octroi de nouveaux biens.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° XIV, p. 39-41.

Texte établi d'après a

[A]nno Dominice Incarnationis M°. C°. XL°. IX°, Romanam ecclesiam regente papa Eugenio, Rothomagensem cathedram episcopalem sedente Hugone archiepiscopo, principante in Normannia Andegavorum comite Gaufrido, ego Johannes, Augensium comes, huic sancte archangeli Michaelis Ulterisportensi ecclesie concedendo dedi et confirmavi, et super altare propria manu mea posui, omnia dona illa que antecessores mei, comes videlicet Robertus, et Guillelmus filius ejus, et Henricus pater meus sui que homines concesserunt, dederunt et confirmaverunt, et quicquid die uno quocumque pacto ecclesia tenuerat, viventibus prefatis comitibus ; et vola ut ea precipue que monachi habere debebant firmiter et plenarie habeant et imperpetuum possideant : totam videlicet decimam integram de vicecomitatibus Augi, Ulterisportus, Criolii, VIIem Molarum et Grandicurie, et omnem palustrem terram quam monachi et Ansgocus tenuerunt, et prata de juxta, et totam moltam et tailliam de Monte Hugonis ; et insuper addo capellam meam, que in honore sancti Nicholai apud Rothomagum sita est, cum omnibus que ad eam pertinent, postquam videlicet Henricus canonicus, qui eam nunc tenet, quocumque casu, vel moriendo, vel seculo renuntiando, eamdem dimiserit, cognoscatque ac teneat eam amodo de abbate et monachis ; et quod homines sancti Michaelis ab omni placito consuetudinario in omni loco adversus vicecomites, forestarios, firmarios aliosque omnes famulos meos sola manu, absque ulla occasione, se purgabunt ; famuli vero abbatis et monachorum, qui sunt de pane et cibo eorum, in curia sancti Michaelis, simili modo, sola manu se purgabunt, et justitia erit abbatis, nec umquam pro arverrio vel sine testimonio alicui famulorum meorum respondebunt. In Fontibus autem, et in Verleio, et in Helardi Maisnillo, et in omni terra sancti Michaelis, si quis aliquem percusserat, sanguinem et justiciam omnem abbati et monachis concedo, arverrium et omnem occasionem condono, libertatemque omnibus hominibus quos habet vel habitura est abbatia Sancti Michaelis Ulterisportensis in omni terra mea concedo, pro salute anime mee et remissione peccatorum Henrici patris mei meorumque, et omnium antecessorum nostrorum, ut amodo et usque in sempiternum nec ego, nec heredes mei nullas ab eis exigant collectas, nullas tallias ; et hoc vinculo perpetue excommunicationis ligo, et contradicentibus eternam maledictionem et a Deo in die judicii separationem imprecor. Et aquam de Augo ad piscandum monachis in vigilia festivitatis Transfigurationis Domini concedo, pro anima armigerii mei Nicholai, et campum de Belfou ad arandum, cum tota decima, et culturam que est

inter Ulterisportum et Flamenguevillam, et pratum quod Walterus de Sancto Martino apud Flamengevillam dedit sancto Michaeli, concedentibus filiis suis Waltero et Gaufrido, et hospitem unum apud Ulterisportum, et in Toht duas garbas decime de londa, et feriam in sollempnitate sancti Michaelis, in vigilia et in die et in crastino, omnia que ad me pertinent in mare et in terra, in ipsa villa, in illis diebus. Hujus donationis testes fuerunt : Robertus de Augo, Goscelinus de Criolio, Fretel de Sancto Hylario, Willermus de Rothomago, Andreas frater ejus, Ingerrannus de Escotengniis, Radulfus frater ejus, Matheus famulus abbatis, Walo Aquarius, Petrus Prepositus, Osbernus Rufus.